TENTAMEN MEDICUM DE RABIE,

Quod Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Monſpelienſi, Trimeſtri Aprilis decurrente, anno vero 1787, publicis ſubjiciebat diſputationibus

AUCTOR,

JACOBUS BARROIS, è Vico Pierrefitte apud Boïos, Diœceſis Æduenſis, Liberalium Artium Magiſter, ſaluberrimæ Pariſiorum Facultatis Medicinæ jam-dudum Alumnus, nec-non in hâc celeberrimâ Univerſitate ſtudioſus.

Pro Baccalaureatûs Gradu conſequendo.

Medico Tyroni plurima noſcere pulchrum, plurima ignorare ineluctabile.



MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Univerſitati Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXXVII.



CARISSIMO PATRI

Cum nulla hucuſque, carissime Pater, meam tibi notam facere gratitudinem, ſe præbuerit occaſio; hanc coram omnibus teſtificandi, & omiſſa in te, ſi quæ fuerint, reparandi, occaſionem arripere mihi liceat, precor: annuere ne dedigneris opuſculo quod tibi in perpetuum amoris, gratitudinis & reverentiæ monimentum,



D. V. C.

Tui amantiſſimus, devinctiſſimus, ſubditiſſimus, obſequentiſſimus ſervus & filius

J. Barrois.



TENTAMEN MEDICUM *DE RABIE*,

EX morbis tam diverſe gentem humanam profligantibus, nullus ſane ſævior extitit, quam hic de quo jam ſum dicturus: paucis enim abhinc annis incaſſum in hocce morbo tentatorum remediorum pertæſi, hunc amplius debellare negarunt Medici; undè crudeliſſimo humanitatis, principio, deſperatus æger in lecto vinculis adſtrictus, miſerrimæ ſuffocationi, rei inſtar, affinibus ſibi quandoque cariſſimis condemnabatur (1); *quid de tam exquiſitâ barbarie nepotes?*

Rabiei definitio.

Rabies de quâ nunc nobis erit diſceptatio,

---

(1) Voyez après cela combien il ſeroit cruel d'étouffer ceux qui ſont atteints de la rage : on l'a fait pendant pluſieurs ſiecles dans toute l'Europe, on le fait encore dans quelques Provinces de France, & on l'a fait à Paris il n'y a pas long-temps : quelle barbarie ! on n'en peut ſoutenir l'idée. *Portal*, Obſer. ſur la rage. Pag. 92 in notis.

eſt morbus in quo ſiti ingenti ſimulac potulentorum omnium horrore, maximo & inſuperabili mordendi cupiditate cruciatur miſerrimus æger.

Hydrophobiæ etiam nomen accepit hic morbus quia horror aquæ ipſi eſt pathognomonicum ſymptoma.

Rabiei etiologia.

Licet rabies ut plurimum ab aliis animalibus hâc correptis tranſmittatur, interim tamen multis & quidem luculentiſſimis obſervationibus conſtat hanc animali non rabido (1) poſſe inculcari non ſolum, ſed & abſque ullâ causâ externâ (2), in corpore, acutis quibuſdam morbis (3), ira & nimiis animi pathemati-

---

(1) Viri rebus anatomicis verſatiſſimi (*Morgani*) parens à ſuâ in epilepſiæ paroxyſmo filiâ demorſa, in hydrophobiam incidit. Febricitantis morſus, teſte *Mangeto*, eumdem apud Sa cerdotem morbum procreavit.

(2) *Aurelianus* credidit eſſe poſſibile, ſine manifeſtâ causâ hanc paſſionem corporibus innaſci, cum talis fuerit ſtrictio ſponte generata ‘ qualis à veneno. Acut. morb. Lib. III. Cap. IX. N°. C. Page. 219.

(3) *Salius Diverſus* in muliere triginta ſex annorum febre peſtilenti detentâ primò, dein hoc morbo expugnato, dyſentericâ redditâ atque denuo curâtâ, manente tamen febriculâ quâdam ‘ vidit hydrophobiam naſci, & quidem tali gradu ut alios coram ſe bibentes ſubſtinere non poſſet; mens tamen ſemper conſtabat, & octavâ die poſt quam omne liquidum horrere incepit, mortua eſt; ægra autem & mater ejus ſanctiſſime aſſeverabant, quod nunquam nec à cane rabido, nec à ſano tacta fuiſſet. De feb. peſtil. & ſeq. Cap. XIX. Pag. 362.

bus (1) venere nimiâ (2) nonnunquam fuisse productam. Ast cum rabies talis rarius occurrat, nec tam horrendis, nec æque curatu difficilibus stipata symptomatibus incedat; cum prætereà harum cuique sit eadem curationis methodus; de primâ tantum, de eâ scilicet quæ, cuilibet animali sano, à rabido communicatur agere mihi animus est.

Forte dubitari posset an non potius hic morbus ad morbos acutos, quam ad morbos chronicos pertineret; simulac enim in actum deducitur rabiosi animalis venenum susceptum, tunc paucorum dierum spatio occidit, & plerumque febrim habet comitem; interim tamen, ut posteadicam, sæpè diu latet hoc in corpore venenum.

Aurelianus acutorum morborum numero adscribit rabiem, de hocce morbo habens sequentia: cum non opporteat illud tempus ægrotanti imputari quo nec dum rabie vexatur,

---

(1) *Boerhaavius* asserit se vidisse lictorem qui carnificem aliunde accersere debuerat, ut publica de homine scelesto sumeretur pœna, incidisse in febrem ardentissimam, omnemque potum oblatum cum summo horrore repudiavisse, & tertio die periisse. Legitur de juvene viginti annorum, temperamenti calidi & sicci, qui summâ excandescens irâ, proprium digitum indicem momordit, unde intra viginti quatuor horas hydrophobus factus est; & quidem adeo ut ad solam aquæ mentionem, strangulari videretur: dein maniacus ac plane furibundus factus, subito, periit, dum post æruginosam materiam, bilem sinceram vomebat. Epist. *Joann. Bapt. Scaramucci.* ad *Anton-Magliabech.* In *Miscel.* curios. decad. II. *Ann.* 9. 10.

(2) *Mead* parle d'un homme chez lequel l'accès de la rage se développa la premiere nuit de ses noces; il fut trouvé expirant le lendemain; sa femme dont il avoit rongé le ventre, étoit morte à ses côtés.

quippe cum paſſio necdùm corpus afficiat, & cum emicuerit non habeat ſuperpoſitiones ſeu dilationes, ſicut qui ſpecialiter tardis afficiuntur paſſionibus & ob hoc celerrime ægrotantes interficiat non ſolum ut acuta, ſed & etiam ut continua paſſio. Acut. morb. lib. 3, cap. 11, pag. 222.

Aſt cum demorſus ab animali rabido cauſam morbi jam habeat hærentem in corpore, & cum præterea, quidam inſolitâ mœſtitiâ obruti, totius corporis macie comitante apparuerint diù antequam rabies illos fuerit aggreſſa; non quidem abſonum videbitur quod hic morbus inter chronicas affectiones numeretur, licet ultima ejus periodus acutorum more ægros de medio tollat.

Nullius veneni tam multiplex contagium; etiam vel leviſſimo morſu nequidem ſanguinem eliciente (1) ſed & ſpiritu ex ore (2) rabioſi animalis pulmonem alterius ineunte, (ſi *Aureliano* credatur) ſpumæ contactu recentis, vel

---

(1) Teſtatur *Hyldanus* de juvene viginti annorum cujus pollicem rabidus felis meſſis tempore, unguibus ſcalpendo læſerat adeo leviter ut vix offenſa fuit epidermis, quod initio menſis Martii hydrophobus periit. Obſerv. de Chirurg. Cent. I obſerv. LXXXVI.

Un Abbé du Vivarais eſt mort enragé pour s'être laiſſé lécher par un chien une legere échorchure que ſon perruquier lui avoit faite en le raſant. *Portal.* ſur la nat. & ſur le trait. de la rage, Page 67.

(2) Hominum hydrophoborum quidam in hydrophobiam devenerunt ſolius aſpirationis odore ex cane rabido adducto, cum deflectione quâdam naturalis inſpiratio vexata, venenoſum aërem adducit & talibus inſerit partibus. *Aurelianus.* acut. morb. lib. III. cap. IX. Pag. 218. 219.

etiam dudum exſiccatæ labiis linguâve exceptæ (1); contactu inſtrumenti (2) vel vulneris quo animal rabioſum fuit occiſum, eſu ſanguinis (3), lactis, carnisve (4) ſic affecti animalis; coïtu (5), oſculo dato (6), mœrâ denique hujusce ſpumæ applicatione (7), inculcari poterit rabies.

---

(1) Sartrix quædam cum chlamydem ſciſſam rabidis morſibus, reſarciendam ſumeret, atque ore ſtamina componeret, & ore pannorum ſuturas lamberet aſſuendo quo tranſitum acus faceret faciliorem, tertiâ die in rabiem venit. *Aurelianus* morb acutor. Lib. idem. cap. Id n°. C. Pag. 219.

Similem caſum dum viderat *Hyldanus* vix audebat illum proferre, dum ab omnibus pro fabulâ habebatur: matronæ veſtem arripiens dentibus canis rabidus, illam laceravit, huc & illuc trahendo; cæterum matronæ nullum vulnus inflixerat: illa neſciens canem rabidum fuiſſe, laceram veſtem reſarcivit, filo dentibus abciſſo, & poſt tres menſes hydrophoba facta periit. Obſerv. Chirurg. Cent. I. n°. LXXXVI. Pag. 62. *Palmarius* vidit ex ſtraminis, in quod rabie perciti ſues decubuerant eſu equos, boves, oves, & reliqua animalia quæ ſtramentum deguſtaverunt, rabiem contraxiſſe, tandemque periiſſe. De morb. contag. Pag. 167.

(2) Apud *Schenkium* legitur caſus de puero qui abſtergens rubiginoſum gladium quo ante plures annos, rabioſus canis confoſſus fuerat; malâ fortunâ digito ſuo inflixit vulnuſculum atque inde periit hydrophobus. Obſerv. Medicin. Lib. 7 Pag., 848.

(3) Legitur etiam canem factum fuiſſe rabidum, dum ſanguinem de venâ hominis hydrophobi miſſum lamberet. Academ. des ſciences. ann. 1707. Hiſtoire. Page 31.

(4) Dum lupi ſævioris in varia obſoniorum genera parabantur venatoribus, omnes illi qui inde comederant non multo poſt tempore rabie fuerunt correpti. *Fernel.* de morb. contag. Lib. II. Cap. XIV. Pag. 5. 9.

(5) Homo enim à rabido lupo demorſus neglexit plagam, coivit cum uxore, poſt aliquot dies & ipſe & uxor in hidrophobiam inciderunt *Frederic Hoffman.* Medic. ration. ſyſtem. Tom. II. Part. II. Cap. 2 Sect. X. Pag. 178.

(6) Exemplum hujus rei habet *Schenchius* de patricioviro qui rabioſum canem antequam dimitteret ſuffocandum oſculatus poſtea hydrophobus periit. Obſerv. Medic. Lib. VII. Pag. 848.

(7) Ruſticus quidam rabie perculſſus furiisque agitatus ſe brevi moriturum intelligens, aſſidentes qui eum vinculis adſtrictum tenebant obnixe rogavit ut quos mox deſerturus eſſet liberos, ſibi

Rabiei diagnosis.

Sive venenum salivam immediate affecerit, sive aliis partibus fuerit infusum, quod morsu (imo ut supra dixi linctu) evenit, modo tamen dentium mucus & saliva non penitus detersa fuerit, ut accidit sæpissime cùm tráns vestes crassas lanatasve quispiam ab animali rabido fuit demorsus, saliva vel mucus inferunt vulneri venenùm ut plurimum crassum quod ibi loci fovetur, exaltatur, resolvitur per varium tempus; licet enim sæpissime circa quadragesimum à veneno suscepto diem rabies sequatur, attamen ratione afflictarum partium, tempestatis anni, gradus morbi in animali mordente; ratione temperiei & regiminis demorsi, ratione denique adhibitorum remediorum, promptior vel tardior hujus veneni fiet eruptio. Promptior scilicet si immediate per salivam rabiosi animalis, sani alterius salivæ fuerit communicatum, ut fit iis qui in facie aut etiam ore vulnus acceperunt; si tempestas anni æstuosa & sicca, si animal à quo fuerit demorsus quispiam, rabie summâ laboraverit; si demorsi temperies sit sicca, calida, biliosa, si victu & medicamentis acerrimis vel valde calefacientibus utatur.

Ast si vulnus extremitatibus fuerit inflictum,

---

deosculari liceret; quod cum ei fuisset concessum, liberisque oscula libasset præfocatus est; sed ecce septimo post die eodem morbo correpti, iisdemque cruciatibus torti, miseram vitam cum morte miserrimâ commutarunt. *Palmarius* de morb. contag. Pag. 262.

ſi tempeſtas anni humidior, ſi animal mordens rabiè incipiente non adeo male mulctetur, ſi demorſus ſit pituitoſus, ſi ipſius victus regimen ſit blandum, aquoſum, leniens, refrigerans; ſi medicamentis utatur antiphlogiſticis tardior veneni fiet declaratio. Non deſunt apud clariſſimos auctores teſtimonia quæ comprobant nonnullos, paulo poſt morſum rabie perculſos fuiſſe (1), ſunt & quæ demonſtrant homines à rabidis animalibus demorſos per plures menſes (2), imò & annos (3) in ſinu latens hydrophobiæ germen geſtaſſe, & toto illo tempore nihil incommodi ſenſiſſe, donec tandem febre aliove morbo correpti rabiei venenum evolveretur.

Cùm autem dictum fuerit quandoque in acu-

---

(1) *Baccius* vidit olitorem à veteri gallo gallinaceo in manu vulneratum, primâ die rabioſum factum fuiſſe & tertiâ die mortuum.

(2) Lithotomus quidam (inquit *Conraldus Gèſnerus*) apud nos ante ſex aut ſeptem ſeptimanas à cane rabido morſus, cum aliquandiu nihil ſenſiſſet, ſubito timore aquæ ſuperventu, intra biduum miſere periit. Epiſt. Medic. Lib. 3.

Vidi & ipſe (inquit *Hyeronimus Fracaſtorius*) puerum qui poſt octo menſes ex quo demorſus fuerat, contagionem oſtendit, ex quâ mox periit. Lib. 2. de morb. contag.

(3) Refert *Guainèrus* in tractatu ſuo de venenis. Cap. 12. de morſis à cane rabido ſe à fide digno accepiſſe quod cuidam poſt decimum octavum annum à cane rabido morſo, metus aquæ acceſſerit & die tertiâ hydrophobiâ perierit.

Quo fit ut qui à cane rabido morſi ſunt, non mihi valde tuti eſſe videantur; non enim ſtato definitoque tempore metus aquæ exoritur. *Foreſtus* de cerebri morb. Tom. I. l. X. Obſerv. XXXIIIV, Page. 351.

Schneidius vidit mulierem quæ ante viginti annos à cane rabido demorſa, toto illo tempore nihil incommodi inde ſenſerat, deinde corripiebatur febre malignâ & hydrophobâ factâ, octavâ morbi die periit. Miſcel, curioſ, decad. I. Ann. IX. Pag. 117.

tis morbis ſponte naſci rabiem, merito poteſt dubitari an illud malum acuti morbi tempore eruptum tribui debeat contagio plures annos ante ſuſcepto & tandiu in corpore latenti abſque ullo malo effectu; ubi vero incipit actuoſum fieri rabiei germen, tunc producit morbum acutiſſimum uno ſed ut plurimum lethali & breviſſimo paroxyſmo ſtipatum.

Quando de curâ hujus morbi dicetur, patebit quod ubi vel minima hujus contagii ſuſcepti adeſt ſuſpicio, illico adhibenda ſint efficaciſſima remedia, antequam diris ſyptomatibus ſe manifeſtet latens virus; verum enim ubi talis medela neglecta fuit, quòd fit ſæpiſſime inſciis hominibus vel obliviſcentibus quod infecti fuerint, magnæ utilitatis erit congnoſcere prima indicia quibus hic morbus ſe præbere ſolet, ut illico tentari poſſint congrua auxilia; verum ut clarior pateat ſymptomatum enumeratio, rabiem in tres gradus, nempe in imminentem, in incipientem & in extremam, quorum cuique ſua propria erunt ſymptomata, dividere decrevi. Sit igitur.

Primi rabiei gradus ſeu rabiei imminentis

Diagnoſis.

Quoquomodo rabidi animalis venenum in humano corpore penetraverit, ſerius ocius, ut jam annotavimus, hoc infeſtus incipit ſequenti ordine ægrotare; dolet locus cui fuit impreſſa

contagii labes, dolores vagi per totum corpus, præcipue tamen ad vicinia loci affecti percipiuntur; desunt subito vires, levi convulsivo motu agitantur musculi; somnus fit inquietus, horendis phantasmatibus, convulsionibus & subsultibus perturbatus; timore & hypocondriacâ affectione torquetur æger, cogitabundus, morosus & tristis incedit; suspirat, quandoque lacrymas invitus etiam effundit: solitudinem appetit, hominumque societati se subducere potissimum curat. Pallor os & macies totum corpus certatim depascere videntur; pulsus est parvus, strictus, in affecto præsertim membro; sæpissime in regione epigastricâ dolores & quam vehementissimos experitur æger; illi vox fit rauca, interrupta; modo urinæ incontinentiâ modò sævâ dysuriâ vexatur; verùm si fluant urinæ libenter, tunc lympidæ sunt cutis est sicca & aspera; transpiratio mirum in modum imminuitur. Ipsi extrema primum rigent, & rigor iste totum corpus sensim invadit, qui tamen per varia temporis stadia minuitur & denuò exacerbatur.

Si vulnus fuerit inflictum, cicatrix licèt jam dudum facta, dolet, livescit, elevatur; ipsius vicinia tumescunt, emolliuntur; crusta plagam operiens est rugosa & inæqualis; recrudescit quandoque vulnus & virulentam saniem stillat.

Apud celeberrimum *Sauvagesium* plures casus leguntur quibus edocemur dolorem obtusum cicatricum, illarumque elevationem cum duritie majori præcessisse hydrophobiam.

Hæc probant aliquam mutationem in loco infecto

in cicatricibus vulnerum præsertim (1) præcedere ut plurimum statum ubi latens virus incipit actuosum fieri, unde verosimile videtur, illud venenum susceptum in loco vel demorso vel spumâ irrorato, tandiu adhæsisse, quandiu actuosum circumstantiâ quâlibet aptâ reddatur.

Primus hic rabiei gradus in quibusdam durat diutius, in aliis citò succedit hydrophobia; quoad ultimum casum, legitur de homine qui per quindecim dies in crure demorso dolores, & per integram septimanam, singulis noctibus, rigores, æstus sudores, experiebatur, tuncque stupebat subitò quod scyphos, uti muneris ratio postulabat, aquâ nullo modo posset abluere, & intra biduum periit hydrophobus (2).

Secundi rabiei gradus seu rabiei incipientis

Diagnosis.

In illo morbi stadio omnia supra dicta symptomata valde augentur, præcordia ingenti an-

---

(1) Plurimæ observationes confirmant primum signum veneni actuosum facti, in ipso demorso loco & præcipuè in cicatricibus vulnerum jam consolidatis sæpissime apparuisse; imò *Aurelianus*. pro universâ regulâ hoc statuit, dicens: præpatitur enim ea pars quæ morsu fuit vexata, unde initium denique passionem sumere nemo negat. Acut. morb. Lib. III. Cap. XIV. n°. CXVI. Pag. 226.

(2) *Sauvage.* Dissert. sur la nature & la cause de la rage. Page. 12, in notis.

gustiâ premuntur, accedunt etiam, respiratio difficilis, anhelosa, suspiria frequentiora, maxillæ inferioris continuus motus; tetanos non rarò & quandoque bilis cujusdam fuscæ aut porraceæ ejectio; horror, fremitus, stridor dentium; ventriculi & gutturis tumefactio; furor: aquæ non tantum (1) sed & rerum vel minime pellucidarum aut instar speculi (2) reflectentium aspectu. Offam spissam, aut solida quædam hujusmodi alimenta tantum deglutire possunt & avidè comedunt ægri, quandoque tamen adhuc aliquam liquidi copiam sorbere poterunt, sed maximâ cum difficultate & miris contorsionibus totius corporis.

In quibusdam observatum fuit quod à propriâ salivâ deglutitâ, statim adeo augerentur symptomata, ut mox se morituros autumarent. *Aëtius* notat quandoque observatum fuisse quod ipsum aëris motum horreant, hincque adstantes rogent ut cubiculum clausum maneat & halitum ab ipsis etiam avertant (3).

Nonnulli etiam canis imaginem in aquâ videre sibi fingunt (4) & cum illis offertur li-

---

(1) Non timet autem hydrophobus solam aquam, sed & quidquid liquidum aut humidum instar aquæ est. *Forestus* de cereb. morb. Tom. I. Lib. X. Observ. XXVII. Pag. 349.

(2) Hi (inquit *Aëtius*) ubi aquam vel aliquid aliud luclidum tanquam speculum inspexerint, propriam faciem adeò rubentem, visumque torvum & irarum plenum contemplati deterrentur.

(3) Philosoph. Transact. Abridg. Tom. 5. Page 366. *Sauvag.* Dissert. sur la nature & la cause de la rage. Page. 12. in notis.

(4) Fieri potest etiam ut quidam testantur ut rabidi canis imaginem videre in humido putent, quam speciem recolentes

quidum quodlibet, anxietate incredibili, tremore, horrendis convulſionibus male torquentur.

Tunc abit frigus, omnes artus occupat calor primum æqualis in toto corpore & minime vexans, ſed citius celerius augetur; partes internas, caput, guttur, loca demorſa præcipuè urit. Pulſus ratione caloris augmenti oſcillatur ſæpiſſime, accenditur febris licet id raro fieri celeberrimus Auctor aſſereverit (1); perpetuo vigilant, priapiſmo immodico (2), involuntariâ ſeminis ejectione (3) cruciantur, alienarum & inſolitarum cogitationum longâ ſerie ſollicitantur.

---

protinus horrore, ingenti timore preocupentur. *Foreſtus*, de cereb. morb. Tom. I. Lib. X. Obſerv. XXVIII. Pag. 351.

Vidi ego tales abhorrere in poculo canes, ac abigendos ex cubiculo exclamare. *Baccius* de venenis, Pag. 76.

(1) *Salius diverſus* teſtatur ſe tantum binos vidiſſe qui hunc morbum unâ cum febre patiebantur, quorum unus à cane rabido demorſus, ulcere jam ſano, ex vehementi ictu contuſionem ingentem in imo ventre acceperat; unde validâ febre prehenſus, & paulo poſt rabie correptus, tertiâ die vitâ functus eſt.

Alter caſus ubi febrim hydrophobiæ comitem obſervavit *Salius*, erat in muliere quæ abſque contagio affecto, in acuto morbo hydrophoba facta fuerat; his autem binis caſibus exceptis, inquit, reliquorum rabientium quos ego vidi, neminem ſenſi ullâ conflictari febre nec hujus adeſſe ſuſpicionem ne dixerim ſignum obſervavi. Hinc colligo, rabientes ratione proprii virus non febricitare, ſi autem aliquando febricitent, hoc ex corporis præviâ alterâ indiſpoſitione fieri. De febr. peſtil. Pag. 558.

(2) Priapiſmus eſt involuntaria & perpetua penis erectio; ſic à *Galeno* definitur: incrementum pudendi ſtabile in longitudinem & orbem tumefacti ' circa rei venereæ appetentiam. De compoſ. medicament. ſecund. loc. Lib. IX. Cap. IX. *Charter*, Tom. IX. Pag. 624. 625.

(3) *Hernandes* narrat bajulum ultimis tribus diebus vitæ ſuæ, involuntariis & perpetuis pollutionibus ſemen & animam ſimul efflaviſſe. Rerum. Mexican. Medicar. theſau. Pag. 493.

Tertii rabiei gradus ſeu rabiei extremæ

Diagnoſis.

Omnia hactenus recenſita ſymptomata ſolent ſecundum morbi gradum comitari, verum in hoc tertio, citò majora fiunt, hisque plurima alia junguntur; tunc talium hominum miſerrima fit conditio. Sitiunt immaniter, ſed nequidem potum nominari ferunt quin furore perciti convellantur (1). Linguam hiantis canis inſtar educunt (quæquidem tunceſt aſperrima); illis vox eſt rauca, in ipſorum ore ingens fit ſalivæ ſpumantis & acerrimæ collectio, quam in adſtantes exſpuere vel inviti conantur. Ardore obvio quæque mordendi nec à voluntate comprimendo premuntur: non niſi cum maximâ difficultate ſolidiora alimenta deglutire poſſunt. Pectus eis valdè coarctatur, adeo ut anhelitum vix trahere poſſint, & reſpiratio fiat ſtertoroſa; vultu torvo & minaci terrent adſtantes; vox tunc rauciſſima fit & nonnunquam penitus ſupprimitur; urinæ jam non amplius fluunt, vel ruberrimæ ejiciuntur. Oculi ſunt fixi, corpus omne, collum, facies præcipuètumeſ-

---

(1) Dum vena his ſecari debet, itâ in fluenti ſanguine avertenda ſunt ægrotantium ora, atque manu excipiendus fluor, ne ſonitu perculſi commoveantur. *Aurelianus* acut. morb. Lib. III cap. XVI. n°. CXXVII. Pag. 230.

cunt ; genæ rubent, labiæ & palpebræ nigrefcunt : fudore gellido inundantur ægri ; attamen, quod mirantur omnes, mentis funt compotes (1) ad mortem convulfivam ufque maximâ ut plurimum in refpirando anguftiâ comitatam & vulgò intrà quartum diem à primo metus aquæ infultu accedentem.

Id poft mortem interim notatione dignum, nempé quod mediâ etiam hyeme, horumcé corpora, intra quindecim horarum fpatium peffimè computruerint.

Licèt dixerim hocce morbo correptos, femper mentis fuiffe compotes, attamen vis morbi nonnullos quafi furentes facit ac infanos præcipuè fi virilis fexus, fi ætatis jam validioris, aut pravæ fint educationis (2); funt enim qui tam æquo animo malum ferunt ut tentamina quæ adhibentur ut potum affumant, non patiantur tantum fed & cum more canum

---

(1) Obfervatio habetur de hydrophobo qui non folum mente conftabat per totum morbi decurfum, verùm quibusdam adftantibus vifus fuit melius ratiocinari quam fanitatis tempore. Philofoph. tranfact. Abridg. Tom. III. Pag. 281.

La frayeur eft fi grande dans quelques-uns, dit M. *Portal*, qu'ils s'imaginent voir continuellement ou par intervalles l'animal qui les a mordus, ou de gens armés de verres & de bouteilles : ils raifonnent d'ailleurs affez jufte fur tous les autres objets. Obferv. fur. la nat. & le trait. de la rage, Page 25.

(2) D'autres ne font jamais furieux ; ils pleurent & périffent faus eprouver de convulfions. Obferv. du Doct. *Royer. Howman.* Tranfact. Phylofoph. N°. 169. Art. I. Ann. 1683.

L'éducation, dit encore M. *Portal*, peut influer jufqu'à un certain point fur la fureur qui furvient dans cette maladie ; ainfi, dit ce Médecin, le célebre *Baldo* differtoit fur les caufes de la rage & fe vainquit au point de boire plufieurs fois pendant les plus violens accès de cette cruelle maladie. Ibid. Pag. 68.

mordere cogerentur inviti & reluctantes, custodes rogaverint ut ipsos cohercerent validè, ne in adstantes insilire possint; imò vincula apponi libenter tulerunt quidam ut sic securi essent se aliis nocere non posse.

Sunt autem & benemulti qui tam ærumnosæ vitæ pertæsi hujus finem accelerare desiderant; apud *Joannem Bauhinum* legitur historia de rabiosâ puellâ quæ socerum obnixe rogabat ut sibi mortem afferret. De la rage des loups, pag. 79.

Non semper tramite continuo hic morbus decurrit; sæpè enim exacerbantur omnia & dein parum remittunt, novæ furoris quasi paroxysmo: rubore faciei majore, oculorum fixitate, musculorum faciei distorsionibus, talis exacerbatio prænuntiatur.

De sede hujus morbi non conveniunt Auctores; alii in corde, ut v. g. *Codronchius*, alii in nervis, ut *Democrites*, alii in cerebri membranis, nonnulli etiam in cardia ipsi locum assignaverunt.

Plinius existimat linguæ canis inesse vermiculum quemdam hydrophobiam procreantem (1).

Ast ego cum magnam inter hanc & epilepsiam similitudinem existere judicaverim, istius morbi sedem in nervoso systemate collocandam libenter statuissem, nisi meam de hâc re sicut

(1) Est vermiculus in linguâ canum qui vocatur à græcis lytta; quo exempto infantulis, catulis; nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt. Hist. natur. Lib. 29. Cap. 5.

de aliis ſententiam, patres conſcripti, veſtro ſagaciſſimo judicio ſubmittere mihi legem impoſuiſſem.

His expoſitis videamus nunc quæ fuerint obſervationes tum ex vivis, tum ex cadaveribus depromptæ.

In diverſis rabiei temporibus ſanguis ferè ſemper naturali conſtitutione frui viſus eſt, & licet celeberrimus *Sauvageſius* hunc in primo morbi ſtadio coagulatum, dein ſolutum apparuiſſe aſſeveret, *Morgagni*, *Liſter*, *Haguenot*, multique alii illuſtriſſimi Auctores tali opinioni maxime adverſantur, cum nullam in ſanguine rabioſi alterationem unquam vidiſſe affirmaverint.

Cadaverum ſectio docuit quod hocce morbo defunctis organa deglutitioni non tantum ſed & quandoque aſpera arteria (1) ventriculus, ipſaque inteſtina inflammatione correpta (2) glutem bilioſum in ventriculo, pericardium ſiccum veſiculam fellis atrabile plenam, pulmones ſiccos, ſanguine coacervato ingurgitatos (3) arterias cruore liquido plenas, venas vacuas, muſculos ſiccos, pinguedine ferè privatos; viſcera, cerebrum, cerebellum, ſpinalis medulla ſolito ſicciora (4) inveniantur.

---

(1) Académ. des ſciences. Ann. 1699. Hiſtoir. Pag. 55.

(2) *Hernandes*, rerum. Mexican. Medicar. theſaur. Pag. 494.

(3) Sic vidit *Joannes Faber Lyccus* in cadavere hydrophobi nigerrimum in dextro cordis ventriculo ſanguinem quo omnino carebat ſiniſter; erat autem hic per pulmones mire accenſos & tumidos plurimus diſperſus. *Hernandes*. Rerum. Mexican. medicar. Theſaur. Pag. 494.

(4) *Bonet*. Sepul. Anatom. Tom. I. Lib. I. Sect. VIII. Pag. 210, 212.

Rabiei prognosis.

Quo diutius animal quodlibet rabie laboraverit, quo morti propinquius erit, eo periculosior ipsius morsus eoque eventus demorso funestior : præterea aëris æstus, temperies calida ac biliosa, animi violentæ affectiones (1) hujus morbi incremento mirum in modum favebunt. Major minor-ve spes erit, prout symptomata morbi leviora vel graviora fuerint, prout æger hilaris, vel vehementer eventus morbi sollicitus fuerit.

Cum non dentur medico indicia certa quibus constet venenum rabiosum post remedia adhibita non amplius in corpore latitare, primis expulsis symptomatibus, metuendum adhucdum erit ne dirus hic morbus sequelam aliquam patiatur : ast vero cum futuri mali metus nonnullos, & quidem dudum demorsos ad rabiem transire facit, ut pluribus observationibus constat (2), Medicus de hoc dubio potissimum silere debet.

Quod spectat ad hunc morbum jam ad aquæ

---

(1) Ad hunc morbum patefaciendum haud minime conducunt ingentia animi pathemata : vir quidam à cane rabido demorsus fuerat, tribus abhinc mensibus à quodam minitatus, timore aquæ corripitur ; paulo post rabiosus factus periit. *Portal*, observ. sur la rage. Page. 71.

(2) Mirum in modum etiam quibusdam ab animali rabido demorsis, metus hujus morbi, ipsius declarationem acceleravit : *Robertus Chambourigaud* de quo loquitur illustrissimus *Sauvagesius*, nobis casus similis exemplum suppeditat ; à lupo rabido fuerat demorsus iste, mense februario anni 1746 optime se habebat vineamque secabat ; trigesimâ tertiâ die à quo fuerat morsus, imprudens villicus illi narrat quosdam sexto post morsu-

horrorem provectum, de hoc curando fere omnes desperaverunt Medici, venenum enim jam actuosum factum sat certò indicat talis horror: sequentia de hocce habet *Paulus Ægineta* .... miserrimum sane & molestissimum morbi genus, maxime que perniciosum, ita ut qui hoc vitio sint occupati nullum præter quam unum & alterum servatum fuisse ex historia didicimus; eosque non à cane morsos, sed ab homine (1) quodam morso rabiente & aquam jam timente vitium adeptos.

Unde etiam *Salius Diversus* morbi hujus cum jam metus aquæ adfuerit curationem in dubium vocat dicens: cum enim ab eo tempore citrà per tot secula nullam habuimus historiam attestantem rabiem confirmatam sanatam fuisse; in dubium mihi vocatur de fide horum scriptorum: quod si vero hi ex hoc morbo salvati sint, in eam sententiam ut incipienti, non progresso morbo reluctatum sit. De febr. pestil. pag. 366.

Forestus etiam talibus nos monet: molestissimum & dum jam occupavit, insanabile est hoc morbi genus; ante tamen hujus occupatio-

---

ram mense rabidos factos periisse; hæc audiens *Robertus*, Vix ad domum reversus cum tristis cogitabundus appetituque privatus invenitur. Ipsi jam consolidatæ horribili modo recrudescunt cicatrices, febre corripitur; illi quater in die vena secatur: aquam abhorret; die quintâ rabie teterrimæ symptomatibus cunctis correptus se suspendere non dubitavit.

(1) Notavit celeberrimus *Sauvagesius* quod venenum ab homine rabido communicatum alteri homini minus sit virulentum, quam quod canis aut lupi morsu infligitur. Visa est puella (inquit) à juvene rabido demorsa digito, per mensem rabiem declaratam traxisse & ex eâ fuisse curatam, quod nunquam de alii animalis morsu fuit observatum. *Sauvag.* Dissert. sur la rag. N°. XIII.

nem multi etiam quos canis momordit servâti ſunt, & ego multos ante aquæ horrorem exortum curavi; ſed hydrophobiâ affectum neminem curatum vidi. Tom. I, lib. X. de cereb. morb. obſerv. XXVIII, *pag.* 351.

Dioſcorides teſtatur quod plures demorſos ab aque metu vindicaverit, & etiam ab aliis Medicis noverit ſervatos; verùm ubi jam hydrophobi erant, nullum novit ſervatum fuiſſe.

Ex his omnibus patet quam ſit teter hic morbus qui primum ſymptoma ſibi patognomonicum vix adeptus, cum inſanabilis habitus eſt. Aſt vero his noſtris temporibus viri fortiores, à tritâ viâ recedere auſi, alia & minime quidem ineficacia remedia ad rabiem etiam in ſummo gradu debellandam excogitaverunt, uti in hujus morbi curatione patebit.

Rabiei curatio.

Nullus forſan pro agyrtis fauſtiùs graſſans extitit morbus quam rabies, ducentos enim inter homines ab animalibus quibuſlibet, à canibus ſilicet) centum & quinquaginta ex his diris quidem, aſt non rabioſis fuerunt demorſi; non enim canes omnes quos quotidie fuſtibus & furcis ſicut rabidos proſequntur pagani hoc morbo vexantur, ſufficit enim ut terreantur iſti merus aſpectus canis extranei, errabundi vagantis, vel heri ob errorem viarum obliti. Quinquaginta alii à rabido animali demorſi ſupponantur, horum viginti

quinque minimùm, ſeu quia vulnus non fuit infectum, dentibus animalis per craſſa veſtimenta deterſis, ſeu quia ſanguine continuo depluente, aut lautionibus ritè & citò celebratis fuerit mundatum, hocce morbo tuentur : ex vigenti quinque infectis octodecim tantum, quia ut plurimum ſicuti diximus, intra quadrageſimum morbus evolvitur, hocce corripientur; dum in octo aliis, pluribus ſæpiſſime ab hinc annis apparebit.

Ad quoſcumque horum accitus agyrta, rabie jam manifeſtâ correptos deſerit, ad recens morſos feſtinat, cunctis vulnera ſanat & ad cicatricem adducit, eventus parum ſollicitus.

Quadraginta diebus revolutis, ſe ſanatos fuiſſe cum tamen non ægrotaverint, vel cum adhuc rabiei ſemen in ſinu foveant exiſtimantes demorſi, agyrtam hunc ad cœlum uſque extollunt; it fama per urbem itque per arva, petitur ubique, ubique vadit, ubique ſimili modo curat. Quos verò poſt quadraginta dies ſanatos ſibi-fingebat plebecula univerſa, ſeriùs ociùs rabie torquentur (1) : aſt cum numerus à ra-

---

(1) Témoin dans un genre différent le fameux *Frere Jacques* le plus dangereux coupeur de veſſies qui ait jamais exiſté, même dans les moineries des Révérends Freres de l'Ordre de St. Jean de Dieu, qui ſe fit une réputation ſi étendue que tout Paris ne juroit que par le Frere Jacques; ſur le bruit de ſes exploits ce Frere eſt appellé à Fontainebleau où la Cour étoit alors, il y taille impitoyablement tous ceux que leur mauvaiſe étoile faiſoit tomber ſous ſa main ; il part bien vite de cette Ville, mais nanti des certificats les plus pompeux, ſous les auſpices deſquels il court tout le Royaume, évitant néanmoins toujours de ſéjourner long-temps dans les Villes où il avoit opéré des prétendues mer-

bido animali infectorum multum impar sit numero demorsorum; cum præterea tardò sæpissime venenum evolvatur quod nempe ut jam annotavimus in corpore per plures annos latitare valet, parvi inter est agyrtæ, modò lucrum, imò gloriam citò sibi comparaverit.

Talibus positis Medico cordato veniet in munus prophylacticam non tantum sed & therapeuticam hujus morbi curam operandi se præbere capacem. Quam ultimam curæ speciem agyrta vel ciniflo quivis, & quidem audacior, nunquam suscipere ausus est.

Idcirco fraude palàm revelatâ, rabie definitâ, ipsius causis, diagnosi, prognosi accurate descriptis, nunc tum ad prophylacticam, tùm ad therapeuticam hujus morbi curationem remedia efficaciora hucusque excogitata, oculis vestris subjicienda veniunt.

Rabiei curatio prophylactica.

Quoquo modo veneni cujuslibet animalis, hominis corpori fiat insitio; si pars affecta absque periculo vitæ rescindi possit, quantocyus rescindatur; crudele quidem videtur hoc consi-

---

veilles, & sur-tout d'y rétourner lorsqu'il en étoit sorti: il avoit raison, le *Frere Jacques*, car de tous ceux qu'il avoit taillé, la moitié périssoit peu de jours après son départ, & l'autre moitié restoit affligée d'incommodités incurables.

Voyez, pour l'histoire du Frere Jacques; *Heister*, tom. 2. Pag. 342. 345. *Dionis*, des opérat. de Chirurg. 3e. démonst. Pag. 239.

lium, ſed nemo qui horrendum hujus morbi exitum noverit; mutilatione corporis tam calamitoſam mortem redimere hæſitabit.

Sin minus, ut à contagio ſuſcepto locus affectus præſervetur, profundis ſtellatiſque ſcarificationibus (1) protinus pertundatur, ſalis marini ſaponis-ve diſſolutione in aquâ, abluatur; imponantur cucurbitæ; ad ipſius vicinia applicentur ſanguiſugæ, ita molito copioſo ſanguinis effluxu: dein ferro candente (2) aut antimonii butyro; juxta vulnus & in ipſo vulnere profunda fiat uſtio.

Diu maneat apertum vulnus (3), huic ſu-

---

(1) Utiliſſimas ſemper fuiſſe in tali caſu ſcarificationes ignita, cauteria, acrium applicationes, auctores etiam antiquiſſimi teſtantur: apud *Amatum Luſitanum* leguntur ſequentia: puer annos 12 natus à cane paluſtrum continuo comitante demorſus in crure, die ſequenti; eâdem horâ rigore ſuccedente, ingenti poſteà febre correptus eſt; accito Chirurgo, demorſum locum ſcarificare juſſi, non niſi profundioribus inciſuris & calido vino lavare; optime abſterſo loco affecto, hoc emplaſtrum admovi: cæpam unam acrem accipiebam, alliorum caput ſive radicem mediam, theriaces optimæ unci. dimid. foliorum marrubii fetidi meliſſæ, pars. æq. manip. dimid. rubeæ minoris unciam dimidiam fermenti unciam dimidiam, piſtentur, & loco affecto ſupponantur, quibus puer brevi ſanitatem obtinuit. Cent. 5. curat. 45.

Primò itaque vulnus latius efficies, deinde totum in circuitu locum ſcarificabis; vulnus etiam inures latioribus cauteriis ignitis, poſtea porri ſemina cum ſale trita, aut allia aut cæpas aſſumens illines. *Aëtius*.

(2) Auſus fuit *Dekkerus* per ſuram à cane rabido morſam cauterium quam maximè candens ad os uſque adigere, & quidem felici cum eventu. Exercit. pract. pag. 566.

(3) Primum conſilium eſt ut non claudatur vulnus, & ſi clauſum fuerit, ſtatim aperiatur, ut putredo & ſanies effluant; quia ſolet latere venenum per multa tempora. Aperiatur igitur cum phlebotome, vel ſi apertum ſit, ſuper ponatur ventoſa, vel juxta vulnus apponantur ſanguiſugæ. *Gilbert Anglic.* lib. 7. de morſu canis rabidi.

per imponatur emplaſtrum de unguento matris butyro recentiori illinito; quod emplaſtrum donec mortuum ſeparetur à vivo protrahi neceſſe erit; quæ ſeparatio, iteratis ſcarificationibus properabitur.

Eſcharrum jam deciduum, aut gentianæ, aut iridis florentinæ radicis fruſtis implenda eſt plaga, ut in ea fonticulus quidam (1) inſtituatur, & ſi ante quadrageſimum diem coïverit, ſive ſcalpello, ſive novâ uſtione renovandum vulnus, & ad plures uſque menſes apertum tenendum erit.

Quod leviter erodentibus, v. g. præcipitato rubro unguentis digeſtivis miſto, vel frequenti applicatione muriæ cum aceto, facile obtinebitur. Aſt ſi primis morbi diebus talia neglecta fuerint remedia; purgantia hydragoga, inter ea præcipuè mediæ ſambuci corticis ſuccus, venient uſurpanda. Unde ſequentia habet *dioſcorides* (2): alia curationis ineunda ratio, nimirùm imperanda purgatio, quæ dum corpus agitando, ipſius habitum tranſmutat, magnum adfert adjumentum.

Teſtatur *Salius Diverſus* quod neminem viderit, neque audiverit, cujus ulcus rectâ cum ratione fuit pertractatum, rabie correptum fuiſſe. De febre. peſtil. &c. pag. 168.

(1) Felix enim curæ ſucceſſus apud *Hyldanum* legitur, dum ſimul eſcharrâ deciduâ, piſum vulneri impoſuerat, uti in fonticulis fieri ſolet. obſervat. Chirurg. cent. I. obſervat. LXXXVI. pag. 62.

Oportet autem locum demorſum à rabioſo cane vel à ſerpente, diu tenere in exulcerationem, neque pati cicatricem ducere, ut virus illàc pertrahatur. *Scribonius largus*, N°. CLXXI, CLXXII. pag. 120.

(2) Theriac. cap. 3. pag. 426.

Omnium autem remedium efficaciſſimum laudabat helleboriſmum *dioſcordes*, imprimis ſi ante quadrageſimum diem adhiberetur; tantam, inquit, vim habet id genus auxilii, ut nonnulli qui jam aquæ metu prehendebantur, in ipſo primo morbi inſultu helleborum ſumentes incolumes evaſerint. Nam ipſo malo jam detentos nequidem helleborus ſervare poſſet.

Commendavit hieram uti etiam *Aëtius* (1), & Ægineta (2), imprimis illam quæ additâ colocynthide purgabat fortius.

Salius diverſus (3), valde etiam helleborum binis in aceto coctionibus mitigatum, in hoc morbo commendavit.

Rutà, ſcordio infuſis acetum medicatum factum in aqua dilutum, & tepidum mane in lecto potatum, ſicut huic morbo curando, aptiſſimum ſudoriferum ſuaſit *Van-Swieten*, & præcipuè ſi ſimul locus demorſus foveatur linteo poſcâ calidâ madido.

Ex ſudore multa adhuc bona expectavit *dioſcorides* (4) habens ſequentia: præter hæc ſudores & ante cibum & poſt cibum eliciendi, quin & dropaces & ſinapiſmi univerſo corpori alternatim applicandi.

Celſus & etiam cum talia dixerit: quidam poſt rabioſi canis morſum, protinus in bal-

(1) Lib. VI. cap. XXIV. pag. 18.
(2) Lib. 5. cap. III.pag.75.
(3) De febr. peſtil. &c. pag. 371.
(4) Theriac, cap. 3. pag. 426.

neum mittunt, eumque ibi patiuntur desudare, dum vires corporis sinunt; vulnere aperto, quo magis ex eo quoque virus destillet, deinde multo meracoque vino excipiunt quod omnibus venenis contrarium est idque cum ita per triduum factum est, tutus esse homo putatur. De Medicin. lib. V, cap. XXVII, n°. 11, pag. 308.

Ex his omnibus concludendum venit, Medicum omni curâ transitum veneni ad interiora corporis præpedire citò, & si jam hùc penetraverit expellere ad exteriora attrahere debere; verum cum ad genuinum huncce scopum attingendum nulla mihi supradictis visa fuerint efficaciora remedia, ad alteram rabiei curationis speciem therapeuticam scilicèt, propero pede devenimus.

Rabiei curatio therapeutica.

Cum triplex in rabie gradus fuerit distinctus, triplex itidem curationis methodus venit instituenda; sit igitur,

Primi rabiei gradus seu rabiei imminentis curatio.

Cum rabidi animalis morsu venenum communicatum reddi actuosum inceperit, quod supradictis symptomatibus facile noscetur; remediis efficacioribus infaustum diri hujusce morbi exitum Medico maxime præca-

vendum veniet, & cum tota hujus morbi historia suadeat hunc ad diathesim summoperè inflammatoriam ad gangrænam citò tendentem vergere; potentiora remedia antiphlogistica, quæ inter venæ-sectiones ad animi deliquium usque institutæ, clysmata nitrata, notabile semper ægris levamen afferre debuerunt.

Tanti momenti in hoc morbo semper habita fuit venæ-sectio, ut hanc repetere non dubitaverint Medici licèt extrema corporis instar cadaveris rigescerint nec pulsus amplius percipi posset.

Clysmata multum etiam conducunt, quæ scilicèt bibulis intestinorum venis resorpta, quamdam liquidi copiam sanguini subministrare non solum, sed & ob salinum stimulum crassa intestina abluere, & contentas in his feces expellere valent.

Valdè in hoc morbo clysmatum usum commendavit *Cæcilius Aurelianus* (1).

His præmissis ad hydrargiri aut ipsius præparationum administrationem deveniendum.

Sive per frictiones, sive per deglutitionem corpus ineat hydrargirus, solvet humores, horumque copiosiorem secretionem & excretionem concitabit; præterea cum in ipso sit mira sialagoga virtus, naturæ omni nixu per salivam sed invanum ut plurimum eliminare conanti, haud parum opitulabitur.

Tanti fecit in rabie hydrargiri usum *James*

---

(1) Acut. morb. lib. III. cap. XVI. N°. CXXX, pag. 231.

(1) ut dicere non dubitaverit morbum hunc graviſſimum, ſaltem ubi primum gradum non exceſſerit, mercurio ſive ſalivam moveat, ſive non moveat cedere.

Illuſtriſſimus *Deſault* in optimâ ſuâ de rabie diſſertatione (2) narrat quod quatuor homines eodem die à lupo rabido demorſi & omnes mari immerſi, frigidâ quamvis hyeme; bini ex his paucis diebus poſtea, hydrophobi fuerunt facti; reliqui duo funeſto hoc exitu perterriti, cum jam imminentis hydrophobiæ obſervarent ſigna, conſilium petierunt, licèt ſe maris balneo antea ſatis tutos credidiſſent: ſtatim cicatrices vulnerum & totum brachium illinivit unguento mercuriali, tribus diebus ſucceſſivis hanc inunctionem repetiit, tuncque inceperunt cicatrices antea elevatæ & induratæ deprimi & emolliri; deditque ſimul pulverem *Palmarii* (3) poſtea diebus alternis inunctionem mercurialem adhibuit, tali cum eventu ut uterque curatus fuerit integrè.

Hydrargiri præparationes introrsùm multum profuiſſe in curâ rabiei pariter conſtat; hæc inter pro efficaciſſimo medicamine habetur

---

(1) A. new. method. of. curiug. &c. madneſſ. pag. 4, 5.

(2) 1734. in 12.

(3) Ut fiat pulvis palmarii, recipe fol verbennæ, rutæ, ſalviæ minoris, plantaginis, polypodii, abſinthii vulgaris, menthæ, artemiſiæ, meliſſophilli, betonicæ, hyperici, centaurii minoris, ſingularum æquale pondus: datur ad drachmam dimidiam cum dragmâ ſacchari, vel in vino, vel in pomaceo vel in juſculo, vel in butyro, vel in melle opiatæ formâ, jejuno ſtomacho, & tribus quotidie ante cibum horis.

moſchus cum cinnabari, quæ ſeorſim trita in pulverem tenuiſſimam, dein miſcentur & exhibentur cum hauſtulo ſpiritus ardentis ex vino vel oriza præparati; vel ſub formâ boli ſyrupo aut conſervâ quâdam exceptâ.

Plerumque intra duarum triumve horarum ſpatium, blandus ex hoc ſomnus, ſat magnaque perſpiratio ſequentur; quæ niſi ſuccedant, repetatur eadem hujus medicamini doſis, unde expectanda curatio (1). Laudatur autem illud remedium & ad prophylacticam curam ſi detur ſtatim poſt morſum, vel tam citò quam fieri poſſit, (aliis remediis non ideo neglectis) tuncque per trigenta dies, ab hydrophobiâ tutum facit hominem demorſum; quo tempore elapſo, datur denuo eadem doſis.

Ubi verò jam aliqua hydrophobiæ ſigna adſunt, tunc ſecunda doſis hujus pulveris præſcribenda eſt tribus horis poſt primam doſim aſſumptam & certa tunc promittitur cura (2).

Hanc methodum mire ſucceſſiſſe teſtatur & celeberrimus *Sauvageſius* in optimâ ſuâ diſſertatione ſur la nature & la cauſe de la rage (3). Non autem mirum videbitur quod moſchus altâ doſi hìc præſcriptus præſtantes effectus edat, cum is, uti recentiorum obſervationibus conſtat, in morbis malignis, petechialibus, uti & in convulſivis egregiâ virtute donetur.

---

(1) Philoſoph. tranſact. n°. CCCLXXIV. vol. XLIII. pag. 226.

(2) *James,* anew. method. of curing. madneſſ. pag. 33. 34.

(3) Pag. 53. 54. 58. 59.

Exemplum curationis per mercurialia præparata nobis adhuc ſuppeditat *James* (1): in juvene inquit, à cane rabido demorſo, cui poſt ſex dies jam aderant inſolita mœſtitia, tremores, ſomni perturbati, tendinum ſubſultus; datus fuit veſpere bolus confectus ex quatuor granis turpeti mineralis (2), ſcrupulo lapidis contraïervæ & theriacæ andromachi paululo, ut bolus inde fieri poſſet; nocte ſequenti, paulum dormivit & ſudavit; die ſequenti bis alvum liquidam depoſuit. Bolum ſimilem veſperè die ſequenti ſumpſit, unde ſomnus longior & largior etiam ſudor, bis adhuc alvum depoſuit, atque omnia ſymptomata minuebantur; tertium autem bolum ſumpſit veſpere denuò, undè placidè dormivit, copiosè ſudavit & manè ſanus vegetusque ſurrexit.

Attamen libenter exiſtimarem quod ut hydrargirus venenum adeò latentem expellere queat, neceſſarius foret ipſius ad ſecundas vias tranſitus non ſolum, ſed & etiam in his commoratio, quæ quidem haud facilè obtinebitur ſive doſi fortiori ſola, ſive parcâ doſi purgantibus aliis juncta, mercurialia adminiſtrentur præparata. Undè longè mihi, etiam in hoc caſu, mercurii frictiones per extinctionem inſtitutæ, utiliores futuras eſſe videntur.

---

(1) A new. method. of curing madneſſ. pag. 33. 34.

(2) Hanc mercurii præparationem aliis multi in hoc morbo curando antepoſuerunt auctores & inter hos præcipue celeberrimus *Sauvageſius*. Diſſert. ſur la nature & la cauſe de la rage, page. 43. 54. 58 & 59.

His per transennam dictis ad secundi rabiei gradus curationem deveniamus.

Secundi rabiei gradus seu rabiei incipientis curatio.

Remediis supra recensitis vel neglectis, vel ob moram nimiam, ad horrorem aquæ præcavendam minimè suffectis, his & alia sunt jungenda quorum efficaciâ dometur non tantum, sed & ad imas radices usque, virus licèt jam actuosum factum destruatur.

In rabie imminente hydrargirum, camphoram, antidota varia tanquam heroïca auxilia celebravimus, ast cum jam sit ingens vitæ periculum, tum quod morbus ille celeri gradu sua stadia percurrat, tum quod extremum periodum adeptus, longè magis sit anceps ipsius eventus, remedia potentissima prioribus juncta, venient etiam usurpanda.

Magno cum apparatu in mare factas immersiones ad suffocationem usque (1), imò

---

(1) Neque vidi hactenus quemquam, licet viderim plurimos cui tempestivè in mare projecto, quidquam sinistri post modum evenerit. Sic salutari hoc remedio vel flocci facto, vel tarde ac timide adhibito, dedere multi irreparabiles suæ incuriæ pœnas. *Tulpius.* observ Medici. lib. I. cap. XX, pag. 41.

Helmontius vidit trans natantem navem & in eâ senem nudum, funibus vinctum, pondus in pedibus hab[illegible]m; subter axillas zonâ cingebatur, quâ ad antennam ligatus erat. Unus è nautis dixit senem illum jam hydrophobum & à rabiente animali fuisse demorsum pridem. Credebat *Helmontius* quod miserum suffocare sub aquis in animo haberent, ne propageretur contagium;

&

& placidus aquæ marinæ potus (1), summè profuisse testantur nonnulli & quidem fide dignissimi Auctores. Cum autem non semper tale remedium, licet quidem optimum, hydrophobiam curare valuerit; simul & alia ad hunc morbum debellandum aptissima hucusque habita, præscribenda esse putamus.

Quamobrem manè aquâ marinâ immersus eaque satiatus æger, duobus granis tartari stibiati in aquâ calidâ soluti, interdum purgetur; ad meridiem vero aquæ tepidæ balneo assumpto, mercurialis frictio modò parti unæ,

---

ast nauta audacter promittebat, senem post redditurum sanum. Pretio impetravit *Helmontius* ut testis & socius esset hujus curationis, viditque quod senem priùs in altum sublatum in mare præcipitem dederint & sub aquis retinuerint tanto tempore quo psalmus *miserere* recitari potuisset; posteà binis vicibus hunc adhuc submerserunt, sed non tandiu. Dumque mortuum senem suspicaretur *Helmontius*, solutis vinclis, cepit aquam marinam quam hauserat evomere & revixit posteà rabie liber. hort. Medicin. tractat. idea demens. n°. XLVII. pag. 227. 228.

Verum & alius casus legitur de puellâ viginti annorum quæ jam hydrophoba cum esset, immergebatur aquâ satis frigidâ in quâ copiosus sal marinus erat dissolutus: repetebatur frequenter hæc immersio, & postquam diu sic illam vexaverant, relinquebatur in balneo tota quasi stupefacta; mirabatur dein hæc ægra quod jam aquam absque horrore videre poterat. Posteà febricitabat quidem, sed communi methodo feliciter tractabatur hæc febris, à quâ mensis circiter spatio evasit. Académ. des scienc. ann. 1699. Histoire pag. 78.

(1) Philosophus quidam (inquit *Aëtius*) à cane rabido morsus & egregiâ animi virtute passioni resistens, dum se aquæ horrore prosecutum videret, balneum intrare ausus est imperterritus bibit, atque ità morbum superavit & sanitatem adeptus est. Unicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam non antè ei provisam, projicere & si natandi scientiam non habet modò mersum bibere pati, modò attollere; si habet interdum deprimere, ut invitus quoque aquâ satietur. Sic enim & sitis & metus aquæ tollitur. *Celsus*, de Medicin. lib. V. cap. XXVII, n°. 2, pag. 308.

modo alteri celebretur; quæ frictio ex unguento parte æquali mercurii ac pinguedinis confecto parabitur. Ter in die per triduum tales erunt administrandæ frictiones, harum quæque balneo tepido præcedetur; quibus peractis si superveniat salivatio, hæc tunc usitatis in pari circumstantiâ remediis, erit cohercenda.

Eodem tempore turpeti mineralis grana quinque vel sex præscribantur, fiant etiam boli ex camphoræ & nitri granis octo, moschi granis duobus; mellis parum addatur, ut efformentur tres boli quorum ante balneum prior, post balneum alter, tertius vero ineunte nocte sumentur.

Post boli cujusque assumptionem, pauculum infusi tiliæ florum cui octo vel decim guttæ spiritus alkali volatilis vel aquæ lucæ addentur, æger vel invitus hauriat. Verum si nimia sit agitatio, si somnus nullus, in ultimo tunc tiliæ infusioni scyatho spiritus alkali volatilis loco, syrupum diacodion ad quatuor aut quinque drachmas, opium ad unum alterumve granum, seu laudanum liquidum ad debitam dosim substituentur. Quæ tamen ultima potio, si dolor capitis ingens, æstus vehemens, pulsus plenus adsit, saphenæ sectione præcedatur.

Verum si his celebratis in pejus abeat æger, tunc fiet rabies extrema.

Tertii rabiei gradus seu rabiei extremæ curatio.

Licet in hoc rabiei gradu multò minor Medi-

co curationis ſpes adſit, non ideò admodùm deſperata ſalus; nonnulli enim accuratâ methodo tractati, ex ipſo mortis limine fuerunt educti.

Non jam per drachmas unguenti in die, ſed per ſemi uncias, uncias etiam aliquando, ſunt adminiſtrandæ (1) hydrargiri frictiones; idem erit in tam ancipiti caſu de aliis remediis quæ quidem niſi altiſſimâ doſi ſumantur, nullum ægrotanti afferrent auxilium largæ idcircò, ſæpe repetitæ & ad animi deliquium uſquè protractæ fiant venæ ſectiones; ſi liquidum nullatenus deglutire queat æger, adhibeantur citò clyſmata ex anti-ſpaſmodicis potentioribus quibus aquæ lucæ vigenti guttæ addentur; quotidie, imò bis in die, frictiones mercuriales inſtituantur. Si ſinant vires ter quaterve in die in balneo tepido mittatur. Turpeti mineralis adhuc augeatur doſis & ad grana decem uſque protrahatur ſi requirit caſus; boli quantitate majori ſumantur, generoſâ manu vel opium vel opii præparata adminiſtrentur; & ſi nihil talia proficiant, his jungatur aceti & quidem acerrimi frequens & copioſa adminiſtratio.

Multum etiam ad hunc morbum expugnandum meloe pro ſcarabæum à *Sennerto* celebratum jactaverunt quidam è recentioribus, aſt cum hujus animalis tam fauſta proprietas mihi non ſat adhuc probata viſa fuerit de hoc ſermonem abſtinebo.

In toto autem morbi decurſu ægri victus

---

(1) Adultis.

ſit humectans, tenuis, dulcis, refrigerans, è regno vegetabili deſumptus: attamen ſi tali regimine pertæſus æger carnes valdè appeteret, illi tunc agninâ vel tenerrimâ quâlibet carne veſci permittatur. Exercitio moderato recreetur, vehementes animi affectiones effugiat, & ſi melancholico temperamento donetur, hanc infauſtam diſpoſitionem placidis voluptatibus emendare curet; nullo enim in morbo plus quam in rabie potuit hilaritas.

Hæc ſunt Patres ornatiſſimi quæ de rabie diſceptaturus, ex Auctoribus fide digniſſimis colligere valuerim nundum propriis meis obſervationibus edoctus: felix ego ſi non vobis diſpliceat hæc in arvo alieno collecta meſſis; felicior ſi meſſor omninò ſegnis aut incaſſum alacer à vobis non habear.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. PAULUS-JOSEPHUS DE BARTHEZ, *Cancellarius & Judex.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANNES CAROLUS DE GRIMAUD.

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.